Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 465
Quelle:
Copyright:

lologicos Mſ. Bibl. Caeſ. docuit; idem enim, ut hic, Poematis illius dicti *der Renner* (quaſi Curſor aut Pediſſequus) initium eſt:

Ich bin die iugent, die die tugent
Vnd vntugent grifet an.
Min gemüte ſtet in blüte
Die wyle ich nit ſorgen han &c.

Idem de Senectute intellige. Sed deinceps in *Codice* praeſenti utraque haec Προσωποποιία latine reddita legitur hoc titulo: *Sequuntur rigme* (rhythmi) *eiusdem in latino.*

Ducta per Euentus tranſit male ſtulta iuuentus.
Juuentus dicit.
En Juuentus per euentus
Mea cerno ſtudia.
Nunc benigne nunc indigne
Vite ducens gaudia. &c.
Senectus dicit.
Triſte gerens pectus frigeſcit cana ſenectus.
En ſenectus gero pectus
Vacuatum ſanguine,
Riſi dudum amans ludum,
Leto gaudens omine &c.

Non videtur ratio, cur quis dubitet, verba illa: *Sequuntur rigme eiusdem in latino*, innuere, *Hugonem* ipſummet ſibi μεταφρασιν egiſſe; de *latine* enim a ſe ſcriptis Opuſculis teſtatur in Praefat. *Renneri:*

Uor hett ich Syben püchlein
In täutſch gemacht vnd in latein
Fünfthalbs.

Atque inde conficio *Hugonem de Trymberg* Scholae in Suburbio *Tewrſtat* ad *Bambergam*, ut ipſe de ſe in concluſione *Renneri*, per 40. annos Moderatorem eundem eſſe cum *Hugone de Werna* ſeu *Weren morato in Babemberg* et *Laureae Sanctorum* N. VIII. indicatae Autore, quam *pro latino pueris*, quemadmodum ibi vidimus, *diſcentibus donavit.* Itaque et munus Ludimagiſtri congruit. Neque minus aetas. Poema *Renneri* in concluſione confectum dicitur anno 1300. compoſitis jam prius *Septem* Libellis germanicis, et *quatuor* cum *medio* latinis, ut paullo ante obſervatum eſt. Porro